



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 7. Christi nascentis gloria, splendor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. VI.

*Priori affinis: in fines nobis utiles
Christus natus.*

Exiit edictum à Cesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Luc. 2. 1. Quid est, quòd nascituro Domino Mundus describeretur nisi hoc; quod apertè monstratur: quòd ille apparebat in carne, qui Electos suos describeret in aeternitate. S. Greg. hom. 8. in Evang. Jesus Christus rex nobilis, rex magnus, homo cœlestis, homo novus; idcirco natus, idcirco Rex datus est: ut Provinciales suos in libro vitæ conferberet; ut civium suorum nomina in Curia cœlesti notificaret. S. Rupertus 1. in Evangelia c. 4. Voluit Dominus tempore descriptionis nasci, ad innuendum; quòd appariturus erat in carne, qui suos adscriberet in aeternitate. Hugo Card. hic.

Ita Deus, ut piissimus, & misericordissimus, præ desiderio, vel amore, hominis; non solum sua, verum etiam & se ipsum, impendit; ut hominem recuperaret non tam sibi, quam homini ipsi. Ut homines ex Deo nascerentur, primò ex ipso natus est Deus. S. August. Man. c. 26.

Filius Dei factus est filius hominis, ut filios hominum faceret filios Dei. S. August. f. 1. de S. Steph.

Deus homo factus est, ut homo Deus fieret: & ut servus in dominum verteretur, formam servi Dominus accepit. S. August. de divers. f. 52. in Nat. D.

Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Id. f. 53. ib.

Deus natus est ex homine, ut ex Deo homines nascerentur. B. Fulgentius 1. de Incarnat. & gratia Christi.

Cum Filius sempiterni esset Dei, etiam filius David esse dignatus est: modò ut te filium faceret Dei. Servum patrem habere dignatus est; ut tibi servo Patrem faceret Deum. Natus est secundum carnem; ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. S. Chrysol. hom. 2. in Matth. cap. 1.

Magnificetur & à nobis parvulis magnus Dominus; quos ut faceret magnos, factus est parvulus. S. Bernardus hom. 3. Sup. Miss.

Qui per ætatum incrementa dignatus est crescere, valet etiam nos de minimis ad majora provehere; & teneram nostri sensus infantiam perfectionis suæ gratiâ roborare: qui nimirum idcirco parvus in nostris fieri dignatus est, ut nos in suis magnos efficeret. Idcirco nostram infirmitatem pertulit, ut nos suæ virtutis plenitudine solidaret. Ut nos erigeret, se misericordialiter inclinavit. B. Petr. Damiani f. in Nat. D.

§. VII.

Nascentis Christi gloria, splendor.

Principes cessabant loqui, & digitum superponabant ori suo. Job. 29. 9. *Cum quietum silentium continent omnia* Ec. Sap. Polyanth. Sacr. Tom. II.

18. 14. Venit sermo in silentio, venit sermo ad silentes. Urbana inter homines, & curiales, consuetudo est; ut, cum honorator, & præpotens persona loqui voluerit, tenent, qui circumstant, silentium. Quando igitur Deus deorum locutus est, silent Prophetæ, & conticescunt. Petr. Blesens. f. 6. de Nat. D.

Herodes rex turbatus est. Matth. 2. 3. Nascente Domino conturbatur Herodes, & *omnis Jerosolyma cum illo.* Ecce jacentem in præsepio pertimelcit armatus, contremiscit humilem rex superbus, obvolutum pannis meruit purpuratus. S. August. f. 2. de SS. Innocentibus. Terret homines illa pueritia in cunabulis vagiens, & in voluta in fasciis, & in præsepio reclinata: ut jam ex ipso exordio sciant; quantà sit potestate donandus, quantò sublimandus imperiò, quantò terrore pressurus impios, quantò munere remuneraturus pios. Simon Cass. l. 1. c. 12.

Puer corpore parvus, Mundi rector, & Dominus: & genitricis gremiò continetur, qui nullò sine clauditur. S. Leo. f. 7. in solennit. Epiph.

§. VIII.

Virtutes, quas Christus in Nativitate exercuit.

Num. I.

Humilitas.

In civitatem David, que vocatur Bethleem. Luc. 2. 4. S. Leo. f. 1. de Epiph. Bethleem prælegit nativitati, Jerosolymam passioni. Locus angustus deputatur nativitati, ubi gloria erat decantanda: Jerusalem civitas magna passioni conferatur; ubi ignominie manifestantur. Sylveira hic.

Invenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. 12. Multa posset Angelus dare signa, quibus puerum recens natum agnoscerent, & latentem divinitatem adorarent. S. Bernardus f. 4. in Nat. D. aut certe cœlitus annuntiatur humilitas; quia hæc quasi propria virtutis divine exhibenda sit majestati. Pinna. Ethol. 257. Vide Humilitas Christi.

Num. 2.

Paupertas.

Passer in venit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos. Ps. 83. 4. At passer Joseph vir cœlestis; & turtur Maria Virgo castissima, non invenerunt domum, ubi ponerent hunc pullum pretiosissimum. de Ponte in Cant. 1. Ex. 4. §. 4.

Pannis eum involvit. Luc. 2. 7. Vilitate pannorum tecta est illa superba nobilitas, quam ex suggestione Sathanica deseruit Adam. Initiavit caput Ecclesie Christus viam novam in his bonis, quæ Mundus abhorret, & dilexit, quæ Mundus odio habuit. Cœpit ab ea hora, quò Mundo apparere voluit, prius facere, quam docere, altissimam paupertatem, rerum omnium abdicationem; ut ei non essent panni, nisi viles; non sua, sed aliena ades; non conducti stabuli determinati hospitis, sed loci